



## The Holy See

---

Sanctuarium Tlalnepantlanæ archidioecesis, quod est dicatum beatæ Mariæ Virgini titulo c Nuestra Señora de los Remedios n invocatae, ad Basilicæ minoris gradum dignitatemque evehitur. IOANNES PAULUS PP. II Ad perpetuam rei memoriam. — Sacras inter aedes Tlalnepantlanæ archidioecesis merito celebratur sanctuarium beatæ Mariæ Virginis titulo « Nuestra Señora del los Remedios », cuius antiqua ac prodigialis imago ibi-dem servata atque anno MCMLXXIV « nomine et auctoritate Summi Pontificis a coronata utpote dioecesanis cleri Regina, impensa pietate colitur a presbyteris et fidelibus eiusdem Ecclesiæ, quæ eandem Virginem suam Patronam habet. Constat insuper hoc templum, notum centrum spiritualis vitæ operumque caritatis, apud quod aedificatum fuit Seminarium maius, esse arte coniunctum cum Nostra Patriarchali Basilica Lateranensi de Urbe. Qua re, cum Excellentissimus Dominus Emmanuel Perez-Gil Gonzalez, bo. mem., tunc Archiepiscopus Metropolita Tlalnepantlanus, litteris die xxi mensis Novembris anno MCMXCiv datis, etiam cleri populique sui nomine postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicæ minoris honestaretur, Nos, paternæ benevolentia documentum dilectis filiis Mexicanis cupientes præbere, enixis precibus nunc libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quæ Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, quod diximus, ad Basilicæ minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quæ sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quæ secundum Decretum de titulo Basilicæ minoris » die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Augusti, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo. ANGELUS card. SODANO Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

---